



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Opinio Thomistarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO XXXIV.

Vtrum vnio facta sit in existentia communi?

SECTIO I. *Opinio Thomistarum.*

SECTIO II. *Distinctio creationis anima ab assumptione.*

SVBSECTIO I. *Opinio prima.*

SVBSECTIO II. *Argumenta pro opinione.*

SVBSECTIO III. *Sententia vera.*

SECTIO III. *Vtra productio sit natura prior?*

SVBSECTIO I. *Productio animi, & communicatio existentie minime distinguuntur.*

SVBSECTIO II. *Communicatio existentie est natura prior communicatione substantie.*

SVBSECTIO III. *Argumenta sententia.*

SVBSECTIO IV. *Conclusio.*

SECTIO IV. *Vtrum vnio sit facta ad existentiam Verbi?*

SVBSECTIO I. *Opinionis Thomistica prima pars.*

SVBSECTIO II. *Opinionis Thomistica secunda pars.*

SVBSECTIO III. *Vnio non est facta ad existentiam.*

SVBSECTIO IV. *Probatio philosophica.*

SVBSECTIO V. *Probatio Theologica ex Concilio sexto generali.*

SVBSECTIO VI. *Secunda probatio ex Concilio Tolentino.*

SVBSECTIO VII. *Vltima probatio ab absurdo.*

SECTIO I.

Opinio Thomistarum.

§.1.



PINIO Capreoli in 3. dist. 1. q. vnica 2.3. longe ante finem, ponit simpliciter in Christi humanitate duas vniones: alteram priorem terminatam ad hypostasim Verbi, per quam humanitas personatur: alteram posteriorem terminatam ad diuinam essentiam, per quam humanitas existit. Priorem terminat persona vt *quo*, & vt *quod*: posteriorem verò terminat natura vt principium remotum *quo* & *quod*; persona verò vt principium proximum *quo* & *quod*. Itaque suppositum ratione & virtute naturæ diuinæ terminat vnionem humanitatis ad existentiam naturæ diuinæ.

§. 2. Duas partes habet hæc sententia. Primum, humanitatem existere existentia absoluta Verbi. Secundò, existentiam esse posteriorem subsistentia. Vtramq; partem sequuntur Thomistæ frequenter. Primam Caietan. qu. 17. art. 2. Medina ibidem, Bañes 1. p. q. 3. art. 4. dub. 1. conclus. 1. Alvarez disp. 14. n. 7. Cabrera in q. 2. art. 11 disp. 2. nu. 17. in qu. 3. art. 2. disp. 1. nu. 40. & alibi. Secundam partem sequuntur etiam Caiet. & Cabrera ea disp. 2. nu. 120. Alvarez autem disp. 14. nu. 14. censet humanitatem in creati esse priorem assumptione; at in creato esse, posteriorem esse.

SECTIO II.

Distinctio creationis anima ab assumptione.

§. 3. **V**OL. 1. disp. 8. Metaphys. §. 83. memini huius sententiæ constituentis subsistentiam priorem existentia, nunc eam ex instituto impugnabo.

SVBSECTIO I.

Opinio prima.

§. 4. **P**etrus Cabrera q. 2. art. 9. disp. 2. §. 16. censet non esse duas actiones, sed vnã, crea-

tionem humanitatis, & assumptionem ad Verbum: quia vna & eadem actione anima creata est, & vnita Verbo. idem censet de tota humanitate: ob quod corpus Christi eadem actione creatur & vnitur Verbo. Non potest idem dici de creatione corporis & animi: quæ saltem in triduo duæ fuere: Christi enim corpus in sepulchro non potuit eadem actione produci, ac anima in limbo. item creatio animi per momenta mutaretur, cum Christi corpus fuit obnoxium crementis & decrementis.

§. 5. Ait præterea eam actionem esse formaliter assumptionem, & virtualiter creationem: vt animus est formaliter intellectiuus, & virtualiter sensitiuus.

§. 6. Hoc vltimum est improbable: quia ea actio est suo conceptu productio animi ex nihilo, id est, ex nullo subiecto: ergo est formaliter creatio. Probo consequentiam: quia creatio animi Petri non alia ratione est formaliter creatio, nisi quia seipsa animum producit ex nihilo. Secundò, quia quæ per suum conceptum sunt talia, sunt formaliter talia: quæ verò non sunt talia, nisi vt producant aliquid, sunt virtualiter talia. vt lux est formaliter lumen, quia seipsa illuminat; & est virtualiter calor, quia non seipsa calefacit, sed producendo calorem distinctum. animus autem est formaliter sensitiuus: quia seipso est principium formale sentiendi. vel est ratio diuersa: quia cum ipse solus non sentiat, nec recipiat sensationem, non est seipso sensitiuus; sed producendo aliquid in alio subiecto, est seipso, & formaliter principium actiuum sensationis; non verò sentiens, nec sensitiuus. cur autem ea actio erit creatio virtualis, & non virtualis assumptio: minus malè diceretur eam esse formaliter creationem, & virtualiter assumptionem; quia ratione nostra ex creatione sequitur assumptio, non ex assumptione creatio.

SVBSECTIO II.

Argumenta pro opinione.

§. 7. **P**robat ergo Cabrera num. 17. identitatem actionis. Primum, quia creatio animi Christi est supernaturalis: ergo habet terminum super-